



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XXV. Ne clerici vel continentes, ad viduas vel virgines soli habeant  
accessum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

Primitiæ vero, seu mel & lac, quod vno die solennissimo pro infantis mysterio solet offerri, quamuis in altari offeratur, suam tamen habent propriam benedictionem, vt a sacramento Dominici corporis aut sanguinis distinguantur: nec amplius de primitiis offeratur, quam de visis & frumentis.

XXV.

Vt clerici vel continentes, ad viduas vel virgines, nisi iussu vel permisso episcoporum & presbyterorum, non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum clericis, vel cum his, cum quibus episcopus iusserit vel presbyter. nec ipsi episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi feminas, nisi aut clerici præsentés sint, aut graues aliqui Christiani.

Con. Afr.  
cap. 5.  
Dist. 81.  
Clerici vel  
continentes.

XXVI.

Vt primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.

Con. Afr.  
cap. 6.  
Dist. 99.  
Primæ sedis  
episcopus.

XXVII.

Vt clerici, edendi vel bibendi causa, tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Con. Afr.  
cap. 7.

XXVIII.

Item placuit, vt episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cuiusque prouinciæ, vt ab eo præcipue possint sumere formatam. Hinc etiam dirigendæ literæ Concilii ad transmarinos episcopos.

Dist. 44.  
Clerici edendi vel  
bibendi.  
Cod. Can.  
cap. 23.

XXIX.

Vt sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum,

Afr. cap. 8.  
De conf.  
dist. 1. Sa-  
cramenta  
altaris.